Die

Lebensweisheit

des

HORAZ.

Eine übersichtliche Zusammenstellung

der

schönsten Sentenzen aus den Werken desselben

für Lernende und Freunde des Dichters

von

Theodor Vogel.

Sapere aude!
epp. 1. 2. 40.



Leipzig,
Verlag von B. G. Teubner.
1869.



Seiner

alma mater,

dem theuren

Gymnasium zu Plauen

widmet diese Blätter

als anspruchslose Festgabe zum 27. August 1868

in dankbarer Gesinnung

der Verfasser.

Inhalt.

I.

Der Wandel in Thorheit.

II.

Der Weg der Weisheit.

Anhang.



I.

Der Wandel in Thorheit.

1. Das Rennen und Jagen nach Glück.

Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus „bene vivere." epp. 1. 11. 28.

1.

Otium divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent
Sidera nautis;
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura ve-
nale nec auro! carm. 2. 16. 1.

2.

Quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriae quis exul
Se quoque fugit?
Scandit aeratas vitiosa naves
Cura nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro. carm. 2. 16. 18.

3.

Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra Cura. carm. 3. 1. 37,

4.

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
    Tecta volantes. carm. 2. 16. 9.

5.

Caelum, non animum mutant qui trans mare currunt.
epp. 1. 11. 27.

6.

Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore;
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes! epp. 1. 1. 42.

7.

O diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
    Mortale corpus vel superbos
        Vertere funeribus triumphos,

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus, te dominam aequoris
    Quicunque Bithyna lacessit
        Carpathium pelagus carina.

Te Dacus asper, te profugi Scythae
Urbesque gentesque et Latium ferox
    Regumque matres barbarorum et
        Purpurei metuunt tyranni. carm. 1. 35. 1.

8.

Inde fit, ut raro, qui „se vixisse beatum"
Dicat et exacto contentus tempore vita
Cedat uti conviva satur, reperire queamus. sat. 1. 1. 117.

9.

In culpa est animus, qui se non effugit unquam. epp. 1. 14. 13.

2. Die Steine des Anstosses.

a. Das Unglück.

10.

Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
Te deus? ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! sat. 2. 8. 61.

Valet ima summis
Mutare et insignem attenuat deus
Obscura promens; hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet. carm. 1. 34. 12.

11.

Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas;
Defodiet condetque nitentia. epp. 1. 6. 24.

12.

Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc alii benigna. carm. 3. 29. 49.

13.

Uni nimirum recte tibi semper erunt res? sat. 2. 2. 106.

14.

Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora. carm. 2. 16. 27.

15.

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus et celsae graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montes. carm. 2. 10. 9.

b. **Die Kürze des Lebens (der Tod).**

Mors ultima linea rerum est.
epp. 1. 16. 79.

16.

α) Truditur dies die
Novaeque pergunt interire lunae. carm. 2. 18. 15.

17.

Urget diem nox et dies noctem. epod. 17. 25.

18.

Fugit retro
Levis iuventas et decor arida
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum. carm. 2. 11. 5.

19.

Dum loquimur, fugerit invida
Aetas. carm. 1. 11. 7.

20.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni nec pietas moram
Rugis et instanti senectae
Afferet indomitaeque morti. carm. 2. 14. 1.

21.

Quis scit an adiiciant hodiernae crastina summae
Tempora di superi? carm. 4. 7. 17.

22.

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas . . . .
Improvisa leti
Vis rapuit rapietque gentes. carm. 2. 13. 13.

23.

Debemur morti nos nostraque! a. p. 63.

24.

β) Aequa lege necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen. carm. 3. 1. 14.

25.

Nullum
Saeva caput Proserpina fugit. carm. 1. 28. 19.

26.

Metit Orcus
Grandia cum parvis non exorabilis auro. epp. 2. 2. 178.

27.

Omnes una manet nox
Et calcanda semel via leti. carm. 1. 28., 15.

28.

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. carm. 1. 4. 13.

29.

Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris. carm. 2. 18. 29.

30.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum;
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput. carm. 3. 24. 1.

31.

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura et nos in aeternum
Exilium impositura cymbae. carm. 2. 3. 21.

32.

γ) Lusisti satis, edisti satis atque bibisti:
Tempus abire tibi est. epp. 2. 2. 214.

33.

Cum semel occideris et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas. carm. 4. 7. 21.

34.

Linquenda tellus et domus et placens
Uxor neque harum, quas colis, arborum
Te praeter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur. carm. 2. 14. 21.

35.

Cedes coemptis saltibus et domo
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes et exstructis in altum
Divitiis potietur heres. carm. 2. 3. 17.

36.

Perpetuus nulli datur usus et heres
Heredem alterius veluti unda supervenit undam. epp. 2. 2. 175.

37.

Mortalia facta peribunt. a. p. 68.

38.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, [carent quia vate sacro.] carm. 4. 9. 25.

39.

Nos ubi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
Pulvis et umbra sumus. carm. 4. 7. 14.

40.

δ) [Non omnis moriar. carm. 3. 30. 6.]

---

3. Die Irrwege.

a. Die Sünde.

In malos asperrimus
Parata tollo cornua.
epod. 6. 11.

41.

α) Quo, quo scelesti ruitis? epod. 7. 1.

42.

Nil mortalibus ardui est;
Caelum ipsum petimus stultitia neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina. carm. 1. 3. 37.

43.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem! carm. 3. 6. 45.

44.

Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum iuventus
Metu deorum continuit? carm. 1. 35. 34.

45.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas. carm. 1. 3. 25.

46.

Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis. epp. 1. 16. 54.

47.

Tolle periclum,
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis. sat. 2. 7. 74.

48.

Seditione, dolis, scelere atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra. epp. 1. 2. 15.

49.

β) Fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. carm. 1. 18. 10.

50.

„Rem facias, rem,
Si possis, recte, si non, quocunque modo rem!" epp. 1. 1. 65.

51.

„Vilius argentum est auro, virtutibus aurum:
O cives, cives, quaerenda pecunia primum est!
Virtus post nummos." epp. 1. 1. 52.

52.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. carm. 3. 16. 9.

53.

„Magnum" pauperies „opprobrium" iubet
Quidvis et facere et pati
Virtutisque viam deserit arduae. carm. 3. 24. 42.

54.

γ) Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit. carm. 3. 6. 17.

55.

Levis una mors est
Virginum culpae. carm. 3. 27. 37.

56.

δ) Furorne caecus, an rapit vis acrior,
An culpa? Responsum date!
Tacent et ora pallor albus inficit
Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis. epod. 7. 13.

57.

ε) Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Graeco iubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea,
Cum periura patris fides
Consortem socium fallat et hospites
Indignoque pecuniam
Heredi properet. carm. 3. 24. 54.

58.

ζ) Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis dominusque terrae
Fastidiosus. carm. 3. 1. 33.

59.

Iam pauca aratro iugera regiae
Moles relinquent, undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu platanusque caelebs
Evincet ulmos .... — Non ita Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma. carm. 2. 15. 1.

60.

η) Vulgus infidum et meretrix retro
Periura cedit, diffugiunt cadis
Cum faece siccatis amici,
Ferre iugum pariter dolosi. carm. 1. 35. 25.

61.

ϑ) Invidus alterius macrescit rebus opimis;
Invidia Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum. epp. 1. 2. 57.

Virtutem incolumem odimus
Sublatam ex oculis quaerimus invidi. carm. 3. 24. 31.

62.

Diram qui contudit hydram, ...
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes
Infra se positas; exstinctus amabitur idem. epp. 2. 1. 10.

63.

ι) Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocunque deos vel porco vel bove placat,
„Iane pater" clare, clare cum dixit „Apollo",
Labra movet metuens audiri: „Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri
Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem." epp. 1. 16. 57.

64.

κ) Vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur. sat. 1. 3. 68.

65.

Pars hominum vitiis gaudet constanter et urget
Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. sat. 2. 7. 6.

66.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret. epp. 1. 10. 24.

b. Die Narrheit.

Transvolat in medio posita et fugientia captat.
sat. 1. 2. 108.

67.

Maxima pars hominum morbo iactatur eodem. sat. 2. 3. 121.

68.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. sat. 1. 2. 24.

69.

Quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges
Excepto sapiente tenet. sat. 2. 3. 43.

70.

Mea cum pugnat sententia secum,
Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
Aestuat et vitae disconvenit ordine toto,
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis,
Insanire putas „sollemnia" me neque rides? epp. 1. 1. 97.

71.

Si quaeret, quid agam, dic: multa et magna minantem
Vivere nec recte nec suaviter; haud quia grando
Contuderit vites oleamque momorderit aestus ....
Sed quia mente minus validus quam corpore toto
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno,
Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam,
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam. epp. 1. 8. 3.

72.

Illuc, unde abii, redeo, qui nemo, ut avarus
Se probet ac potius laudet diversa sequentes,
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret?
sat. 1. 1. 108.

73.

Si quis deus: „en ego" dicat,
„Iam faciam quod vultis; eris tu, qui modo miles,
„Mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
„Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia,
„Quid statis?" — Nolint. Atqui licet esse beatis. ib. 15.

74.

Adde, quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro,

Iam vino quaerens, iam somno fallere curam;
Frustra: nam comes atra premit sequiturque fugacem.
sat 2. 7. 111.

75.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat metaque fervidis
Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos;
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis etc. carm. 1. 1. 3.

76.

Belua multorum es capitum [sc. populus]; nam quid sequar aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica, sunt qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant;
Multis occulto crescit res fenore. epp. 1. 1. 76.

77.

Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
epp. 2. 1. 101.

78.

Verum
Esto, aliis alios rebus studiisque teneri:
Idem eadem possunt horam durare probantes?
„Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis",
Si dixit dives: lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri; cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri! Lectus genialis in aula est:
Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita;
Si non est, iurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? epp. 1. 1. 80.

79.

„Liber, liber sum", dic age! — Non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis et acres
Subiectat lasso stimulos versatque negantem. sat. 2. 7. 92.

80.

Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, [etiam] rex
Et quidquid volet. sat. 2. 3. 95.

81.

Est animus tibi, sunt mores et lingua fidesque,
Sed quadringentis sex, septem milia desunt:
Plebs eris. epp. 1. 1. 57.

82.

Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
Tertia succedant et quae pars quadret acervum.
Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos
Et genus et formam regina Pecunia donat. epp. 1. 6. 34.

83.

Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus, sic iudiciis fruar isdem
Nec sequar aut fugiam, quae diligit ipse vel odit:
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum!
epp. 1. 1. 70.

II.

Der Weg der Weisheit.

1. Die Vorstufen.

a. Die ernste Einkehr.

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem.
epp. 1. 1. 34.

84.

Ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis? epp. 1. 1. 47.

85.

Te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innascitur agris. sat. 1. 3. 34.

86.

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat. epp. 1. 16. 24.

87.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis:
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? sat. 1. 3. 25.

88.

Caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira? . . . .
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta? epp. 2. 2. 206; 210.

89.

Quid te exempta iuvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis! ib. 212.

90.

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem. epp. 1. 1. 38.

91.

Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi . . . .
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. ib. 28.

92.

Quodsi
Frigida curarum fomenta relinquere posses:
Quo te caelestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari! epp. 1. 3. 25.

93.

Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura sibi, quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo? sat. 1. 2. 111.

94.

Hunc solem et stellas et decedentia certis
Tempora momentis sunt, qui formidine nulla
Imbuti spectent: quid censes munera terrae?
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore? epp. 1. 6. 3.

95.

Nimirum s a p e r e est abiectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum . . . .
Et verae numerosque modosque ediscere vitae. epp. 2. 2. 141.

96.

[Mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos
Atque haurire queam vitae praecepta beatae! sat. 2. 4. 93.]

b. **Die muthige Umkehr.**

Ut te ipsum serves, non expergisceris?
epp. 1. 2. 33.

97.

Dimidium facti, qui coepit, habet: SAPERE AVDE!
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,

Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum. epp. 1. 2. 40.

98.

Fingit equum tenera docilem cervice magister,
Ire viam, qua monstret eques . . . Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. ibid. 64.

99.

Velis tantummodo: quae tua virtus,
Expugnabis. sat. 1. 9. 54.

100.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit. a. p. 412.

101.

Sedit qui timuit, ne non succederet. epp. 1. 17. 37.

102.

Atqui
Hic est aut nusquam, quod quaerimus. Hic onus horret
Ut parvis animis et parvo corpore maius;
Hic subit et perfert. epp. 1. 17. 38.

103.

Vitanda est improba Siren
Desidia. sat. 2. 3. 14.

c. **Die völlige Abkehr vom alten Wandel.**

Intendas animum studiis et rebus honestis.
epp. 1. 2. 36.

104.

Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. carm. 3. 24. 51.

105.

Nos in mare proximum
Gemmas et lapides aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene paenitet. ib. 47.

106.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis. carm. 2. 2. 13.

107.

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.
epp. 1. 2. 54.

108.

Doctrina sed vim promovet insitam
Rectique cultus pectora roborant;
Utcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae. carm. 4. 4. 33.

109.

Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum,
Num te semper inops agitet vexetque cupido,
Num pavor et rerum mediocriter utilium spes, . . .
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet, honos ac dulce lucellum
An secretum iter et fallentis semita vitae; epp. 1. 18. 96.

110.

Quae mare compescant causae, quid temperet annum,
Stellae sponte sua iussaene vagentur et errent,
Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,
Quid velit et possit rerum concordia discors; epp. 1. 12. 16.

111.

utrumne
Divitiis homines an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos
Et quae sit natura boni summumque quid eius; sat 2. 6. 73.

112.

Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis. a. p. 313.

113.

Quid verum atque decens, curo et rogo et omnis in hoc sum,
Condo et compono, quae mox depromere possim. epp. 1. 1. 10.

114.

Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod

Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit. ib. 23.

115.

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus! sat. 1. 9. 59.

---

2. Der Weisheit Lehre.

Nullius addictus iurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.
epp. 1. 1. 14.

A. Das Ziel.

116.

Sapiens sibique imperiosus,
Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper fortuna. sat. 2. 7. 83.

B. Die Wege zum Ziel.

I. Gottesfurcht und Gottvertrauen.

Odi profanum vulgus. carm. 3. 1. 1.

117.

a) Parcus deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus
Cogor relictos! carm. 1. 34. 1.

118.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis. carm. 3. 1. 5.

119.

Quid prius dicam solitis Parentis
Laudibus, qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis,
Unde nil maius generatur ipso
Nec viget quidquam simile aut secundum? carm. 1. 12. 13.

120.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et urbes regnaque tristia
    Divosque mortalesque turbas
        Imperio regit unus aequo. carm. 3. 4. 45.

121.

Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
    Fulmina lucis. carm. 1. 12. 58.

122.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
    Aedesque labentes deorum et
        Foeda nigro simulacra fumo. carm. 3. 6. 1.

123.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
    Mollivit aversos Penates
        Farre pio et saliente mica. carm. 3. 23. 17.

124.

Dis te minorem quod geris, imperas,
HINC omne principium, HVC refer exitum;
    Di multa neglecti dederunt
        Hesperiae mala luctuosae. carm. 3. 6. 5.

125.

Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum,
    Raro antecedentem scelestum
        Deseruit pede Poena claudo. carm. 3. 2. 29.

126.

Vis consili expers mole ruit sua,
Vim temperatam di quoque provehunt
    In maius, idem odere vires
        Omne nefas animo moventes. carm. 3. 4. 65.

127.

β) Di me tuentur; dis pietas mea
Et Musa cordi est. carm. 1. 17. 13.

128.

[ad Melpomenen:]

Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est. carm. 4. 3. 24.

129.

Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. carm. 2. 17. 27.

130.

Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis nomenque dedit poetae. carm. 4. 6. 29.

131.

Sed satis est orare Iovem, quae ponit et aufert:
„Det vitam, det opes" — aequum mi animum ipse parabo!
epp. 1. 18. 111.

132.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere et votis pacisci
Ne Cypriae Tyriaeque merces
Addant avaro divitias mari.
Tunc me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret geminusque Pollux! carm. 3. 29. 57.

133.

γ) Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. carm. 3. 29. 28.

134.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere. carm. 1. 9. 13.
Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare. carm. 2. 16. 25.

135.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
Temptaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati!
carm. 1. 11. 1.

136.

Tu, quamcunque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu. epp. 1. 11. 22.

137.

Deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice! epod. 13. 7.

II. Reines Herz und unsträflicher Wandel.

Hic murus aëneus esto:
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
epp. 1. 1. 60.

138.

α) Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra. carm. 1. 21. 1.

139.

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine poenae. epp. 1. 16. 53.

140.

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.
epp. 1. 2. 54.

141.

Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus. carm. 3. 5. 27.

142.

β) Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.
epp. 1. 2. 55.

143.

Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt? carm. 3. 24. 33.

144.

Si latus aut renes morbo temptantur acuto,
Quaere fugam morbi. Vis recte vivere? — Quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. epp. 1. 6. 28.

145.

Aut virtus nomen inane est
Aut [decus et pretium recte petit experiens vir.] epp. 1. 17. 41.

146.

Virtus repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.
Virtus recludens immeritis mori
Caelum negata temptat iter via
Coetusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna. carm. 3. 2. 17.

147.

Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.
epp. 1. 18. 9.

148.

Virtus est vitium fugere et sapientia prima
Stultitia caruisse. epp. 1. 1. 41.

149. (cf. n. 68.)

Frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. sat. 2. 2. 54.

150.

In vitium ducit culpae fuga, si caret arte. a. p. 31.

151.

Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra, quam satis est, virtutem si petat ipsam. epp. 1. 6. 15.

152.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum. sat. 1. 1. 106.

153.

γ) Iustum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida neque Auster,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis,
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinae. carm. 3. 3. 1.

154.

Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus,
Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae
Consulque non unius anni,
Sed quotiens bonus atque fidus
Iudex honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma. carm. 4. 9. 34.

155.

Dulce et decorum est pro patria mori. carm. 3. 2. 13.

156.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta. ibid. 1.

157.

Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus fragilemve mecum
Solvat phaselon. carm. 3. 2. 25.

158.

δ) Aequum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus. sat. 1. 3. 74.

159.

Et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici
Inque vicem illorum patiar delicta libenter. ib. 139.

160.

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant
Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi. ib. 96.

161.

ε) Fortes creantur fortibus et bonis;
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam. carm. 4. 4. 29.

162.

Dos est magna parentium
Virtus. carm. 3. 24. 21.

III. Männliche Selbstbeherrschung.

a) im Kampf mit der Leidenschaft.

Persta atque obdura! *sat.* 2. 5. 39.

163.

Mihi res, non me rebus subiungere conor. epp. 1. 1. 19.

164.

Ira furor brevis est: animum rege; qui nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena. epp. 1. 2. 62.

165.

Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens. ib. 59.

166.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere et altis urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem! carm. 1. 16. 17.

167.

Qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
epp. 1. 16. 65.

168.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni. carm. 2. 2. 9.

169.

„Liber, liber sum“, dic age. Non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis et acres
Subiectat lasso stimulos versatque negantem. sat. 2. 7. 92.

b. In Glück und Unglück.

Quod petis, hic est;
Est Ulubris, animus si te non deficit aequus.
epp. 1. 11. 30.

170.

α) Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum. epp. 1. 6. 1.

171.

Quem res plus nimio delectavere secundae,
Mutatae quatient. epp. 1. 10. 30.

172.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula. carm. 2. 10. 1.

173.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli. carm. 2. 3. 1.

174.

Grata superveniet, quae non sperabitur hora.
epp. 1. 4. 14.

175.

Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura. epp. 1. 18. 87.

176.

Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.

Quanto quisque sibi plura negaverit
A dis plura feret: nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemptae dominus splendidior rei etc. carm. 3. 16. 18.

177.

Fuge magna! epp. 1. 10. 32.

178.

Adversis rerum immersabilis undis!
epp. 1. 2. 22.

β) Impavidum ferient ruinae. carm. 3. 3. 8.

179.

Et quondam maiora tuli. sat. 3. 5. 31.

180.

Durum: sed levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas. carm. 1. 24. 19.

181.

Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc alii benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero.
Non est meum si mugiat Africis
Malus procellis ad miseras preces
Decurrere. carm. 3. 29. 49.

182.

Ut melius, quidquid erit, pati! carm. 1. 11. 3.

183.

Vivite fortes
Fortiaque adversis opponite pectora rebus. sat. 2. 2. 136.

184.

Fortunae ... responsare superbae
Liberum et erectum. epp. 1. 1. 68.

185.

Fortis et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper Fortuna. sat. 2. 7. 86.

186.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iuppiter, idem
Summovet. Non si male nunc, et olim
Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat Musam neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela. carm. 2. 10. 13.

187.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque, etc. carm. 2. 9. 1.

188.

Uni nimirum tibi recte semper erunt res? sat. 2. 2. 106.

189.

Deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice! epod. 13. 7.

190. (cf. n. 133.)

Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare et amara lento
Temperet risu: nihil est ab omni
Parte beatum! carm. 2. 16. 25.

IV. Die rechte Lebenskunst.

a) Der leichte Sinn.

α) Der nicht grübelt ohne Noth.

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis. carm. 1. 26. 1.

191.

Immortalia ne speres, monet annus et almum
Quae rapit hora diem. carm. 4. 7. 7.

192.

Non semper idem floribus est honos
Vernis neque uno Luna rubens nitet
Vultu: quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas? carm. 2. 11. 9.

193.

Ne(c) trepides in usum
Poscentis aevi pauca! ib. 4.

194.

Nec quidquam tibi prodest
Aërias temptasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum morituro. carm. 1. 28. 4.

195.

Quid brevi fortes iaculamur aevo
Multa? carm. 2. 16. 17.

196.

Spatio brevi
Spem longam reseces. carm. 1. 11. 6.

197. (cf. n. 16 sqq.)

Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam;
Iam te premet nox fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia. carm. 1. 4. 15.

198.

Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare. carm. 2. 16. 25.

199. (cf. n. 133 sqq.)

Quid sit futurum cras, fuge quaerere. carm. 1. 9. 13.

200.

Inter spem curamque, timores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. epp. 1. 4. 12.

β) Der den Moment frisch benutzt.

Quod adest, memento
Componere aequus. carm. 3. 27. 32.

201.

Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse: „vixi". Cras vel atra
Nube polum pater occupato

Vel sole puro, non tamen irritum
Quodcunque retro est efficiet neque
Diffinget infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit. carm. 3. 29. 41.

202.

Dum loquimur, fugerit invida
Aetas. Carpe diem quam minimum credula postero.
carm. 1. 11. 7.

203.

Tu quamcunque deus tibi fortunaverit horam
Grata sume manu neu dulcia differ in annum,
Ut, quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas. epp. 1. 11. 22.

204.

Neglegens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere.
Dona praesentis cape laetus horae et
Linque severa! carm. 3. 8. 25.

205.

Dum licet, in rebus iucundis vive beatus,
Vive memor quam sis aevi brevis! sat. 2. 6. 97.

206.

Rapiamus, amici,
Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus. epod. 13. 3.

207.

Quem Fors dierum cunque dabit, lucro
Appone nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas,
Donec virenti canities abest
Morosa. carm. 1. 9. 13.

208.

Misce stultitiam consiliis brevem,
Dulce est desipere in loco. carm. 4. 12. 27.

γ) Der das, was er hat, fröhlich geniesst.

Frui paratis! carm. 1. 31. 17.

209.

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti? epp. 1. 5. 12.

210.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu. carm. 2. 2. 1.

211.

Nescis, quo valeat nummus? quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius; adde,
Quis humana sibi doleat natura negatis. sat. 1. 1. 73.

212.

Utar et ex modico quantum res poscet acervo
Tollam nec metuam, quid de me iudicet heres,
Quod non plura datis invenerit. epp. 2. 2. 190.

213.

Distat enim, spargas tua prodigus an neque sumptum
Invitus facias neque plura parare labores. ibid. 195.

214.

Non ego avarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem . . .
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum. sat. 1. 1. 103.

215.

Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum. epp. 1. 4. 15.

b. **Der zufriedne Sinn.**

Laetus sorte tua vives sapienter!
epp. 1. 10. 42.

216.

Multa petentibus
Desunt multa: bene est, cui deus obtulit
Parca quod satis est manu. carm. 3. 16. 43.

217.

Quod satis est cui contingit, nil amplius optet. epp. 1. 2. 46.

218.

Desiderantem quod satis est neque
Tumultuosum sollicitat mare
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Haedi. carm. 3. 1. 25.

219.

Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors. epp. 1. 14. 11.

220.

Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gaetulo murice tinctas
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
epp. 2. 2. 180.

221.

Nam neque divitibus contingunt gaudia solis
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. epp. 1. 17. 9.

222.

Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius. epp. 1. 12. 4.

223.

Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. carm. 3. 16. 18.

224.

Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra? sat. 1. 1. 41.

225.

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus. epod. 4. 5.

226.

Scilicet improbae
Crescunt divitiae; tamen
Curtae nescio quid semper abest rei. carm. 3. 24. 62.

227.

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe. carm. 3. 1. 17.

228.

Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domino deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti. epp. 1. 2. 47.

229.

Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus atque
Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti. epp. 1. 10. 39.

230.

Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius quam ducere funem. epp. 1. 10. 47.

231.

Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius, hic qui
Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,
An qui contentus parvo metuensque futuri
In pace ut sapiens aptarit idonea bello? sat. 2. 2. 107.

232.

Quodsi dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,
Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores? carm. 3. 1. 41.

233.

Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus:
Quantum hinc imminuet? sat. 2. 2. 126.

234.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert. carm. 2. 16. 3.

235.

Inamarescunt epulae sine fine petitae. sat. 2. 7. 107.

236.

Ieiunus stomachus raro vulgaria temnit. sat. 2. 2. 38.

237.

Cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. ib. 17.

238.

Cena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba.
epp. 1. 14. 35.

239.

Me pascent olivae
Me cichorea levesque malvae. carm. 1. 31. 15.

240. (cf. n. 175. sqq.)

Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem. carm. 3. 16. 18.

241.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa; neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi . . . . .
At fides et ingeni
Benigna vena est pauperemque dives
Me petit: nihil supra
Deos lacesso. carm. 2. 18. 1.

242.

Sit mihi quod nunc est, etiam minus, et mihi vivam
Quod superest aevi, si quid superesse volunt di.
Sit bona librorum et provisae frugis in annum
Copia neu fluitem dubiae spe pendulus horae!
Sed satis est orare Iovem, quae ponit et aufert:
Det vitam, det opes. Aequum mi animum ipse parabo.
epp. 1. 18. 107.

243.

Quid voveat dulci nutricula maius alumno,
Qui „sapere" et „fari possit quae sentiat" et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde
Et mundus victus non deficiente crumena? epp. 1. 4. 8.

244.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? . . .
„Frui paratis et valido mihi",
Latoë, dones „et, precor, integra"
„Cum mente nec turpem senectam"
„Degere nec cithara carentem!" carm. 1. 31. 1; 17.

245.

Pauperies immunda domo procul absit: ego utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem,

Non agimur tumidis velis Aquilone secundo,
Non tamen adversis aetatem ducimus Austris,
Viribus, ingenio, specie, virtute loco, re
Extremi primorum, extremis usque priores. epp. 2. 2. 199.

246.

I m p o r t u n a t a m e n p a u p e r i e s a b e s t
Nec, si plura velim, tu dare deneges;
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. carm. 3. 16. 37.

247.

Exilis domus est, ubi non et multa supersunt. epp. 1. 6. 45.

248.

[Tuta et parvula laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis.
Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis. epp. 1. 15. 42.]

c. **Der empfängliche Sinn.**

Non tu corpus eras s i n e p e c t o r e.
epp. 1. 4. 6.

α) f ü r d i e S c h ö n h e i t d e r N a t u r (an sich und im Gegensatz zum Stadtleben).

V i v o e t r e g n o, simul ista reliqui,
Quae vos ad caelum effertis rumore secundo!
epp. 1. 10. 8.

249.

Vivere naturae si convenienter oportet
Ponendaeque domo quaerenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
Cum semel accepit Solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
epp. 1. 10. 12.

250.

O rus, quando ego te adspiciam quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae? sat. 2. 6. 60.

251.

Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes.
epp. 2. 2. 77.

252.

Me constare mihi scis et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam. epp. 1. 14. 16.

253.

Tu nidum servas. Ego laudo ruris amoeni
Rivos et musco circumlita saxa nemusque. epp. 1. 10. 6.

254.

Parvum parva decent; mihi iam non regia Roma
Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum. epp. 1. 7. 44.

255.

O fons Bandusiae splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus etc. carm. 3. 13. 1.

256.

Beatus ille, qui procul negotiis
    Ut prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis
    Solutus omni fenore. epod. 2. 1.

257.

Hoc erat in votis: „modus agri non ita magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
Et paulum silvae super his foret." Auctius atque
Di melius fecere. Bene est: nihil amplius oro. sat. 2. 6. 1.

258.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum
Sextilem totum mendax desideror. epp. 1. 7. 1.

259.

Utque sacerdotis fugitivus liba recuso;
Pane egeo iam mellitis potiore placentis. epp. 1. 10. 11.

260.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix. ib. 24.

261.

Scribetur tibi forma loquaciter et situs agri.
Continui montes, ni dissocientur opaca
Valle, sed ut veniens dextrum latus adspiciat Sol,
Laevum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid, si rubicunda benigni
Corna vepres et pruna ferat? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum iuvet umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum. etc. epp. 1. 16. 4.

262.

Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt viridique certat
Baca Venafro ....
Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces; ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici. carm. 2. 6. 13.

263.

Purae rivus aquae silvaque iugerum
Paucorum et segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior. carm. 3. 16. 29.

264.

Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.
Plerumque gratae divitibus vices
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Cenae sine aulaeis et ostro
Sollicitam explicuere frontem. carm. 3. 29. 9.

265.

Me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo. carm. 1. 1. 30.

266.

Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
Milibus atque aliis vivo! sat. 1. 6. 110.

β) für Umgang und Freundschaft.

Nil ego contulerim iucundo sanus amico.
sat. 1. 5. 44.

267.

αα) Ah, te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: Ibimus, ibimus,
Utcunque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati. carm. 2. 17. 5.

268.

Quid nos, quibus te vita sit superstite
Iucunda, si contra, gravis?
Utrumne iussi persequemur otium
Non dulce ni tecum simul,
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus et te vel per Alpium iuga ....
Forti sequemur pectore. epod. 1. 5.

269.

Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. carm. 2. 17. 21.

270.

Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum
Non patre praeclaro sed vita et pectore puro. sat. 1. 6. 62.

271.

Non isto vivimus illic
Quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla est
Nec magis his aliena malis; nil mi officit unquam
Ditior hic aut est quia doctior; est locus uni
Cuique suus. sat. 1. 9. 48.

272.

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium finibus Atticis,
Reddas incolumem precor
Et serves animae dimidium meae. carm. 1. 3. 5.

273.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tum cari capitis? carm. 1. 24. 1.

274.

Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis Italoque caelo,
Pompei, meorum prime sodalium,
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos? . . . .
Non ego sanius
Bacchabor Edonis; recepto
Dulce mihi furere est amico. carm. 2. 7. 3.

275.

Hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cetera paene gemelli;
Fraternis animis quidquid negat alter et alter,
Annuimus pariter vetuli notique columbi.
. . . .
Excepto quod non simul esses, cetera laetus. epp. 1. 10. 2; 50.

276.

ββ) Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
epp. 1. 12. 24.

277.

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.
sat. 1. 4. 81.

278.

Ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet. epp. 1. 5. 24.

279.

Amicus dulcis ut aequum est,
Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
Si volet; hac lege in trutina ponetur eadem. sat. 1. 3. 69.

280.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? ib. 26.

281.

„Iracundior est paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit eo, quod
Rusticius toga defluit et male laxus
In pede calceus haeret: at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore"......
Vellem in amicitia sic erraremus et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.......
Opinor
Haec res et iungit iunctos et servat amicos.
sat. 1. 3. 29; 41; 53.

282.

Aequum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus. ib. 74.

283.

Mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici
Inque vicem illorum patiar delicta libenter. ib. 139.

284.

At vos
Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros, ubicunque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus,
Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca. epp. 1. 3. 32.

285.

γγ) Odi profanum vulgus et arceo. carm. 3. 1. 1.

286.

Paucorum hominum et mentis bene sanae. sat. 1. 9. 44.

287.

Mihi vivam
Quod superest aevi! epp. 1. 18. 107.

288.

Me Romaene poemata censes
Scribere posse inter tot curas totque labores? ....
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes,

Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra:
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere et contacta sequi vestigia vatum?
epp. 2. 2. 65; 77.

289.

Ad mare descendet vates tuus et sibi parcet
Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
epp. 1. 7. 11.

290.

Vivo et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad caelum effertis rumore secundo! epp. 1. 10. 8.

291.

[Scis Lebedus quid sit, — Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem
Oblitusque meorum obliviscendus et illis. ib. 11. 7.]

γ) für Weib, Wein und Gesang.

Sine amore iocisque
Nil est iucundum. epp. 1. 6. 65.

292.

αα) Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
Mala vino lavere aut exanimari metuentes
Patruae verbera linguae. carm. 3. 12. 1.

293.

Felices ter et amplius,
Quos irrupta tenet copula nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die. carm. 1. 13. 17.

294.

Num tu, quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae
Plenas aut Arabum domos,
Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet? carm. 2. 12. 21.

295.

Nec dulces amores
Sperne puer neque tu choreas

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et Campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora;
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci. carm. 1. 9. 15.

296.

Nos convivia, nos proelia virginum
Strictis in iuvenes unguibus acrium
Cantamus, vacui sive quid urimur,
Non praeter solitum leves. carm. 1. 6. 17.

297.

Heu me, per urbem — nam pudet tanti mali —
Fabula quanta fui! Conviviorum et paenitet,
In quis amantem languor et silentium
Arguit et latere petitus imo spiritus. epod. 11. 7.

298.

Vae meum
Fervens difficili bile tumet iecur.
Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manet, humor et in genas
Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus. carm. 1. 13. 3.

299.

Me quoque pectoris
Temptavit in dulci iuventa
Fervor. carm. 1. 16. 22.

300.

In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit. carm. 1. 19. 9.

301.

Donec gratus eram tibi
Nec quisquam potior bracchia candidae
Cervici iuvenis dabat:
Persarum vigui rege beatior. carm. 3. 9. 1.

302.

Miseri, quibus
Intemptata nites: me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo! carm. 1. 5. 12.

303.

Ah miser,
Quanta laborabas Charybdi,
Digne puer meliore flamma! carm. 1. 27. 18.

304.

O dolitura mea multum virtute Neaera!
Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret etc. epod. 15. 11.

305.

Sis licet felix, ubicunque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas! carm. 3. 27. 13.

306.

Tandem nequitiae fige modum tuae
Famosisque laboribus;
Maturo propior desine funeri
Inter ludere virgines
Et stellis nebulam spargere candidis. carm. 3. 15. 2.

307.

Eheu, translatos alio maerebis amores:
Ast ego vicissim risero. epod. 15. 23.

308.

Dedi satis superque poenarum tibi. epod. 17. 19.

309.

Intermissa, Venus, diu
Rursus bella moves? parce, precor, precor!
Non sum, qualis eram bonae
Sub regno Cinarae: desine dulcium
Mater saeva Cupidinum
Circa lustra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis; abi,
Quo blandae iuvenum te revocant preces! carm. 4. 1. 1.

310.

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria,
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit. carm. 3. 26. 1.

311.

Age iam meorum
Finis amorum. carm. 4. 11. 31.

312.

Me nec femina nec puer
Iam nec spes animi credula mutui
Nec certare iuvat mero
Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur, heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio? carm. 4. 1. 29.

313.

Lenit albescens animos capillus. carm. 3. 14. 25.

314.

Fugit retro
Levis iuventus et decor arida
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum. carm. 2. 11. 5.

315.

Non lusisse pudet, sed non incidere ludum.
epp. 1. 14. 36.

316.

Vino pellite curas! carm. 1. 7. 31.

ββ) Dissipat Euhius
Curas edaces. 2. 11. 17.

317.

Sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero. carm. 1. 7. 17.

318.

Nullam, Vare, sacra prius severis arborem . . .
Siccis omnia nam dura deus proposuit neque

Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat,
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
carm. 1. 18. 1; 3.

319.

Capaciores affer huc, puer, scyphos
Et Chia vina aut Lesbia, ...
Curam metumque Caesaris rerum iuvat
Dulci Lyaeo solvere. epod. 9. 33; 37.

320.

Tu [sc. testa] lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu sapientium
Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo;
Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices neque militum arma. carm. 3. 21. 13.

321.

Prome reconditum,
Lyde strenua, Caecubum
Munitaeque adhibe vim sapientiae. carm. 3. 28. 2.

322.

Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus. carm. 3. 21. 11.

323.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus. carm. 1. 37. 1.

324.

Potare et spargere flores
Incipiam patiarque vel inconsultus haberi! epp. 1. 5. 14.

325.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quae nemora aut quos agor in specus
Velox mente nova? carm. 3. 25. 1.

326.

Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus. epp. 1. 19. 2.

327.

Quid non ebrietas designat? Operta recludit,
Spes iubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fecundi calices quem non fecere disertum,
Contracta quem non in paupertate solutum? epp. 1. 5. 16.

328.

At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata, monet Sithoniis non levis Euhius,
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. carm. 1. 18. 7.

329.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis. carm. 1. 27. 1.

330.

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia. carm. 1. 17. 21.

331.

Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates; tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis iuncta sororibus. carm. 3. 19. 14.

332.

Minuentur atrae
Carmine curae. carm. 4. 11. 35.

γγ) Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis. carm. 1. 26. 1.

333.

Carmine di superi placantur, carmine Manes. epp. 2. 1. 138.

334.

Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus. epod. 13. 8.

335.

Omne malum vino cantuque levato
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis. ib. 17.

336.

Nos cantabimus invicem
Neptunum et virides Nereidum comas. carm. 3. 28. 9.

337.

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus et fide Teia
Dices laborantes in uno.
Penelopen vitreamque Circen. carm. 1. 17. 17.

338.

Insanire iuvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae? carm. 3. 19. 18.

339.

O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve
Rite vocanti. carm. 1. 32. 13.

340. (cf. n. 383 sqq.)

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos seu mihi frigidum
Praeneste seu Tibur supinum
Seu liquidae placuere Baiae....
Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium et datis et dato
Gaudetis almae. carm. 3. 4. 21; 37.

V. Die rechte Lebensklugheit.

341.

Respicere exemplar vitae morumque iubebo.
a. p. 317.

Disce, docendus adhuc quae censet amiculus, ut si
Caecus iter monstrare velit; tamen adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur. epp. 1. 17. 3.

342.

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores.
Reddere qui voces iam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere et iram
Colligit ac ponit temere et mutatur in horas.
Imberbus iuvenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit et inventis miser abstinet et timet uti,
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator censorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. a. p. 156.

343.

Quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia. sat. 2. 1. 27.

344.

Non omnes eadem mirantur amantque. epp. 2. 2. 58.

345.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus;
Quam scit uterque libens, censebo, exerceat artem. epp. 1. 14. 43.

346.

Ludere qui nescit campestribus abstinet armis. a. p. 379.

347.

Parvum parva decent .....
Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.
epp. 1. 7. 44; 98.

348.

Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus. epp. 1. 8. 17.

349.

Fulgente trahit constrictos Gloria curru
Non minus ignotos generosis. sat. 1. 6. 23.

350.

Tu recte vivis, si curas esse quod audis. epp. 1. 16. 17.

351.

Falsus honor iuvat et mendax infamia terret
Quem nisi mendosum et medicandum? epp. 1. 16. 39.

352.

[Populus] ... stultus honores
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
[Ac] stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere a vulgo longe longeque remotos? sat. 1. 6. 15.

353.

Persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos amplis et honoribus auctos. ib. 8.

354.

Qui promittit, cives, urbem sibi curae,
Imperium fore et Italiam et delubra deorum,
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quaërere cogit. sat. 1. 6. 37.

355.

Si fortunatum species et gratia praestat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram
Porrigere. „Hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet hic fasces dabit eripietque curule
Cui volet importunus ebur." „Frater", „pater" adde,
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta. epp. 1. 6. 49.

356.

Si prodesse tuis pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.

„Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus." „Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus qui me notat." epp. 1. 17. 11.

357.

Tu cede potentis amici
Lenibus imperiis. epp. 1. 18. 43.

358.

Equus ut me portet, alat rex,
Officium facio. epp. 1. 17. 19.

359.

Principibus placuisse viris non ultima laus est. epp. 1. 17. 35.

360.

Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope maius:
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute; dentibus atris,
Dum vult libertas dici mera veraque virtus. epp. 1. 18. 3.

361.

Deme supercilio nubem; plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi. ib. 94.

362.

Quid de quoque viro et cui dicas, saepe videto.
Percontatorem fugito; nam garrulus idem est
Nec retinent patulae commissa fideliter aures
Et semel emissum volat irrevocabile verbum. epp. 1. 18. 68.

363.

Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem. ib. 76.

364.

Fenum habet in cornu, longe fuge; dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico. sat. 1. 4. 34.

365.

Ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae. sat. 2. 8. 73.

366.

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. sat. 1. 9. 59.

367.

Qui sibi fidit,
Dux regit examen. epp. 1. 19. 22.

368.

Dimidium facti qui coepit habet. epp. 1. 2. 40.

369.

Tua res agitur, paries cum proximus ardet
Et neglecta solent incendia sumere vires. epp. 1. 18. 84.

370.

Hic fossa est ingens, hic rupes maxima; serva! sat. 2. 3. 59.

371.

Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto! sat. 1. 4. 85.

372.

Mutato nomine de te
Fabula narratur. sat. 1. 1. 69.

373.

„Egomet mi ignosco" Maenius inquit;
Stultus est improbus hic amor est dignusque notari. sat. 1. 3. 24.

374.

Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit. sat. 2. 2. 38.

375.

Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto. sat. 2. 1. 8.

376.

Cena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba. epp. 1. 14. 25.

377.

Non in caro nidore voluptas
Summa sed in te ipso est. sat. 2. 2. 19.

378.

Neglegens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere. carm. 3. 8. 25.

379.

Nunc agilis fio et mersor civilibus undis....
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor
Et mihi res, non me rebus subiungere conor. epp. 1. 1. 18.

380.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. epp. 1. 2. 14.

381.

Iliacos intra muros peccatur et extra. ib. 16.

382.

Iam satis est. Ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse pates, verbum non amplius addam. sat. 1. 1. 120.

Anhang.

1. Aufgabe und Macht der Dichtkunst. Dichtarten.

Doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis. carm. 1. 1. 29.

383.

α) O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve
Rite vocanti! carm. 1. 32. 13.

384.

Vos [sc. Camenae] lene consilium et datis et dato
Gaudetis almae. carm. 3. 4. 41.

385.

Mercuri, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo,
Tuque testudo resonare septem
Callida nervis, ...

Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere et rivos celeres morari,
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulae ....

Quin et Ixion Tityosque vultu
Risit invito, stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces. carm. 3. 11. 3; 13; 21.

386.

Silvestres homines sacer interpresque deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones ....
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. a. p. 391. 400.

387.

Quem tu, Melpomene, semel
    Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
    Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico . . . .
    Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
Et spissae nemorum comae
    Fingent Aeolio carmine nobilem. carm. 4. 3. 1.

388.

O testudinis aureae
    Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
O mutis quoque piscibus
    Donatura cycni, si libeat, sonum:
Totum muneris hoc tui est ......
    Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est. carm. 4. 3. 17.

389.

Dignum laude virum Musa vetat mori
Caelo Musa beat. carm. 4. 8. 28.

390.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrimabiles
    Urgentur ignotique longa
        Nocte, carent quia vate sacro.
Paulum sepultae distat inertiae
Celata virtus. carm. 4. 9. 25.

391.

Quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli? carm. 4. 8. 22.

392.

Nec magis expressi vultus per aënea signa
Quam per vatis opus moresque animique virorum
Clarorum apparent. epp. 2. 1. 248.

393.

Non omnis moriar multaque pars mei
Vitabit Libitinam. carm. 3. 30. 6.

394.

Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis. carm. 4. 9. 1.

395.

Non si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae;
Nec si quid olim lusit Anacreon
Delevit aetas; spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae! carm. 4. 9. 5.

396.

Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo
Nec Stygia cohibebor unda. carm. 2. 20. 5.

397.

Multa Dircaeum levat aura cycnum
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo. carm. 4. 2. 25.

398.

Neque parvum
Carmen maiestas recipit tua [sc. Augusti] nec meus audet
Rem temptare pudor, quam vires ferre recusent. epp. 2. 1. 257.

399.

Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi raro et perpauca loquentis. sat. 1. 4. 17.

400.

Quo Musa tendis? Desine pervicax
Referre sermones deorum et
Magna modis tenuare parvis. carm. 3. 3. 70,

401.

Quodsi me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice. carm. 1. 1. 35.

402.

β) Aut prodesse volunt aut delectare poetae
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae. a. p. 333.

403.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo. ib. 343.

404.

Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res. sat. 1. 10. 14.

405.

Ridentem dicere verum
Quid vetat? sat. 1. 1. 24.

406.

Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
epp. 2. 1, 262.

407.

In malos asperrimus
Parata tollo cornua, ...
An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer? epod. 6. 11; 15.

408.

Hic stilus haud petet ultro
Quemquam animantem et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus. Quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille
Qui me commorit, — melius non tangere, clamo —
Flebit et insignis tota cantabitur urbe! sat. 2. 1. 39.

---

2. Der Pfuscher und der wahre Dichter. Das Publikum.

Mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnae.
a. p. 372.

409.

α) O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus! epp. 1. 19. 19.

410.

Gaudent scribentes et se venerantur et ultro,
Si taceas, laudant quidquid scripsere beati. epp. 2. 2. 107.

411.

Ecce
Crispinus minimo me provocat: Accipe, si vis,
Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus uter plus scribere possit! sat. 1. 4. 14.

412.

Mutavit mentem populus levis et calet uno
Scribendi studio; pueri patresque severi
Fronde comas vincti cenant et carmina dictant. epp. 2. 1. 108.

413.

Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam,
Qui sapiunt. a. p. 455.

414.

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus;
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo. a. p. 474.

415.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant. sat. 1. 3. 1.

416.

Non cessavere poetae
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis vultu torvus fero et pede nudo
Exiguaequae togae simulet textore Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis? ....
Decipit exemplar vitiis imitabile!
epp. 1. 19. 10; 17.

417.

Animis natum inventumque poema iuvandis,
Si paulum summo decessit, vergit ad imum. a. p. 377.

418.

Neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus. sat. 1. 10. 73.

419.

Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius et probet haec, Octavius optimus atque
Fuscus . . . . quibus haec, sunt qualiacunque,
Arridere velim doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. ib. 81; 87.

420.

Non ego ventosae plebis suffragia venor . . . .
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. epp. 1. 19. 37.

421.

Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat. epp. 2. 1. 63.

422.

Sanctum est vetus omne poema! ib. 54.

423.

Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est. a. p. 78.

424.

Quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia. sat. 2. 1. 27.

425.

Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter;
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
epp. 2. 2. 64.

426.

[Poeta ad librum suum:]
Carus eris Romae, donec te deserat aetas;
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertes
Aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.....
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus. epp. 1. 20. 10; 17.

427.

Deferar in vicum vendentem thus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis. epp. 2. 1. 268.

---

3. Goldne Regeln der Dichtkunst.

Fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet exsors ipsa secandi,
Munus et officium nil scribens ipse docebo.
a. p. 304.

429.

Scribendi „recte sapere" est principium et fons.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes .....
Reddere personae scit convenientia cuique. a. p. 309.

430.

Tu nihil invita dices faciesque Minerva. ib. 385.

431.

In vitium ducit culpae fuga, si caret arte. ib. 31.

432.

Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice. ib. 408.

433.

Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint,
Scripturus neque, te ut miretur turba, labores
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis? sat. 1. 10. 72.

434.

Si quid tamen olim
Scripseris, in Maeci descendat iudicis aures
Et patris et nostras nonumque prematur in annum
Membranis intus positis: delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti. a. p. 386.

435.

Non satis est puris versum perscribere verbis. sat. 1. 4. 54.

436.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit. a. p. 412.

437.

Si non offenderet unum
Quemque poetarum limae labor et mora! ib. 290.

438.

„Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas."
Scimus et hanc veniam petimusque damusque vicissim,
Sed non ut placidis coeant immitia! ib. 10.

439.

Data Romanis venia est indigna poetis. ib. 263.

440.

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui praeter laudem nullius avaris. ib. 323.

441.

Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna! ib. 268.

442.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. ib. 38.

443.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus. ib. 139.

444.

Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus;
Verum operi longo fas est obrepere somnum. ib. 359.

445.

Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit
Aut humana parum cavit natura. ib. 351.

446.

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto
Et, quocunque volent, animum auditoris agunto. ib. 99.

447.

Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles;
Omne supervacuum pleno de pectore manat. ib. 335.

448.

Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces. ib. 317.

449.

Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum! ib. 23.

450.

Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccat ad extremum ridendus et ilia ducat. epp. 1. 1. 8.

Vive, vale! Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum! epp. 1. 6. 67.

Druck von C. E. Klinkicht & Sohn in Meissen.